



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tractatus De Gratia Delectante Et  
Vincente

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066359**

Caput XII. Causæ scriptionis hujus de gratiâ delectante.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45367**

## CAPUT XII.

*Causa scriptiois hujus de Gratia Delectante.*

46. **H**Æc quæ de Gratiâ Delectante atque Vincen-  
te scripsi: sat scio, ineptè & pro Dignitate  
Materiæ indignè exiliterque scripsi, & non tantum  
nulli alteri, sed neque ipsi mihi satisfeci: quod e-  
tiam, cùm primùm ad scribendum accederem,  
prævidi: Scripsi tamen, non spe fiduciaque vi-  
rium mearum ductus, sed Delectantis & Vincen-  
tis cognoscendæ Gratiæ cupidine allectus; exi-  
stimans, futurum aliquando. ut si discurrendo &  
indagando Delectationem Gratiæ cœlestis cognov-  
issem, & experiendo eandem Deo dante degu-  
starem: Et fateor fecissem consultiùs, si orando  
& gemendo humiliter id à DEO fonte gratia-  
rum emendicare contendissem: quàm inutili-  
um & rem indignè explicantium, forteque mi-  
hi vix satis cognitorum verborum scripturatio-  
ne festinatâ, tempus perdidissem, attamen per-  
suadebam mihi, etiam sic me gratiam invenire  
posse, si aliquantulum, non pro unâ horâ, sed pro  
longiori tempore, nec mihi soli, sed aliquibus  
etiam aliis, pro Gratiâ laborassem. Feci, labo-  
ravi modicum: & inveni nisi fallor, non quidem  
omnem & plenam, attamen pro capacitate meâ  
multam requiem, copiosam dulcedinem, non in-  
utilem cognitionem. Ut nihil aliud, id affectu-  
tus mihi hæc scribendo videor, quod æstimare  
Gratiam Dei, haud paulò plus deinceps didice-  
rim, quod, quam parùm ego hæctenus in Christi-  
anâ virtute profecissem cognoverim: quod, quæ  
sint officii mei humani, Christiani, Religiosi par-  
tes,

tes, utcunque melius quam ante sciveram, dispexerim: quod scopulos in vitæ viâ periculosos ac latentés, ante, non tantum nosse, sed vitare proposuerim, fortasse & cœperim. Hæc si cui modica sunt, ignoscat mihi viro videnti paupertatem meam, quod isthæc omnia divitias magnas reputem. contentusque his esse velim, & me liberalitati Divinæ ejusque Gratiæ obligatum esse gaudeam.

Ita est mi Dignissime DEUS, gaudeo me tibi debere quæcunque sum & habeo ad punctum omnia. nolo mentiri Deus meus; quia tibi non possum, & si forte mentior, retracto: gaudereque cupio, quod totus, quantus quantus sum, tuum munus, tuum donum, tua gratia sum. Gratias ago gratiæ tuæ, liberalitati tuæ: & peto ut sit, & nunc, & semper, Mater mea, Nutrix mea, Delectatio mea, lux mea, Motio mea, ego autem sim mendicus ejus, infans & lactens ejus, locus ejus, sedes ejus. Hoc ubi fiet, tunc ego Tibi Deo meo gratias & laudes, & benedictiones fundam, debebo, reddam, in omnem æternitatem & ultra.



G. D. I.  
S. I. C.  
op. r.  
T. m. :  
N. :  
56

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*